

# RATIONALE LIBRI PRIMI IVRIS PONTIFICII

Auctore

IO. BAPTISTA VIVIANO VRBINATE  
Presbytero, & I. C. Romano.

*Opus, in quo omnium, quae à Summis Pontificibus constituta sunt  
in libro primo Decretalium, Sexti, Clementinarum,  
& Extravagantium, ratio redditur.*

AD ILLVST.<sup>V</sup>M ET REVER.VM D.

D. SCIPIO NEM BVRGHESIUM  
S. R. E. Card. Summum Pœnitentiarium, &c.



ROMAE, Typis Iacobi Mascardi. M D C X I I.  
SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTR.<sup>MO</sup> AC REVER.<sup>MO</sup> D.  
D. SCIPIO NI BVRGHEZIO  
S. R. E. CARD. AMPLISS.

IOANNES BAPTISTA VIVIANVS F.



A TIONABILE viget, apud Scriptores, institutum in editione librorum, eos alicui dicare, qui & primariæ sit auctori-tatis, & rebus ibi tractatis delectetur. Sic enim fit, ut calumniatores minus detrahe-re audeant, & ei, cui exhibentur, gratio-res existant. Quorum vestigia secutus, mei Rationalis Iuris Pontificij primum librum typis mandatum, Tibi Illustrissimo Principi, iure, ac merito, offero. Qui non solùm Sanctissimi D. N. Pauli V. Pont. Opt. Max. dignissimus nepos existis; verùm etiam amplissima Cardinalatus dignitate, Vrbi, Orbiq. præfulges; & in Constitutionibus Apostolicis, de quibus totus huius libri sermo est, eius es eruditio-nis, vt cum præclara nominis tui gloria, & Summi Pœnitentiarij fungaris officio, & alijs grauioribus Ecclesiæ ne-gotijs, maxima cum prudentia præfis. Rogo igitur, vt ea huma-nitate, qua, in sublimi honoris fastigio positus, omnibus ad Am-plitudinem Tuam confluentibus Te benignissimum præbes; me, opusq. meum sub tuo patrocinio editum, in gratiam suscipias, ac tuearis. Quod, cum omni animi mei affectu, humiliter dono, do, dico. Romæ Quarto Nonas Decembr. 1611.

# R A T I O N A L E P R I M I L I B R I I V R I S P O N T I F I C I I .

Auctore

IO. BAPTISTA VIVIANO VRBINATE  
Presbytero, & Iuris Cons. Romano.

---

## EX PROOEMIO DECRETALIVM.

Gregorius &c.

*LEX proditur, ut appetitus noxius sub iuris regula limitetur.*



VIA Rex pacificus pia miseratione disposuit, sibi subditos fore pudicos, pacificos, & modestos; sed effrænata cupiditas sui prodiga, pacis æmula, mater litium, materia iurgiorum, tot quotidie noua litigia generat, ut nisi iustitia conatus eius sua virtute reprimeret, & quæstiones ipsius implicitas explicaret, ius humani federis litigiorum abusus extingueret, & dato libello repudij, concordia extra mundi terminos exularet. *vt in tex. & S. Thom. I. 2. q. 96. art. 2. & 3.*

*PER quam genus humanum, ut honestè viuat, alterum non lèdat, ius suum unicuique tribuat, informatur.*

Q VIA omnia iuris præcepta pertinent ad aliquod istorum trium, i. iustitia. ff. de iust. & iur. per quæ homines retrahuntur à malo, & incitantur ad bonum, nam honestè viuere, pertinet ad mores quantum ad se: Alterum nos lèdere, pertinet ad mores circa proximum, ut quis malum illi non inferat; ius suum unicuique tribuere, pertinet ad proximum circa bonum illi inferendum. glos. hic ver. honeste, & sequen.

A

& cap.